



**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. IV. Qualis consensus partium ad prorogandam Jurisdictionem  
requiratur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

## §. IV.

*Qualis consensus partium ad prorogandam Jurisdictionem requiratur.*

## SUMMARIUM.

418. *Consensus litigantium vel expressus vel tacitus ad prorogandam jurisdictionem necessarius est.*
419. *Tacitus inducitur per hoc, quod Reus ante litem contestationem non opponit exceptionem Fori declinatoriam.*
420. *Per solum partium consensum non fit immediatè prorogatio sed per hoc, quod Judicem incompetentem adeunt, seque ejus jurisdictioni submitunt.*
421. *Non solà litem contestatione, sed actibus quoque eam antecedentibus fit prorogatio.*
422. *Ad prorogationem à loco ad locum requiritur consensus expressus, si fit Judici Delegato: secus, si Ordinario.*
423. *Neque Ordinario neque Delegato Judici prorogari jurisdictione ad alienum territorium potest absque consensu Judicis territorialis.*
424. *Non fit prorogatio per litem contestationem aliùmve actum, quem litigans exercet coram Judice alieno, putans esse suum.*
425. *Nisi erret errore Juris, sitque peritus & doctus.*
426. *Aut etiam indoctus ex errore Juris adeat Judicem Ordinarium, à cujus jurisdictione peculiari privilegio est exemptus.*
427. *Prorogatio gravi metu extorta invalida est.*
428. *Uti etiam, si pars protestetur, se non consentire in hunc Judicem, tametsi coram ipso ponat actum, quo tacitè inducitur prorogatio.*
429. *Tacitè non prorogat jurisdictionem absens & contumax, qui nec per se nec per procuratorem comparet in judicio.*
430. *Ad prorogandam jurisdictionem non sufficit sola taciturnitas & patientia.*



418. In omni prorogatione jurisdictionis voluntaria, de qua modò agimus, consensum litigantium esse necessarium, constat cum ex *L. 1. § 2. ff. de Judic. L. si per errorem ff. de Jurisdic. & C. de causis in fin. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* tum ex eo, quòd voluntaria est: qualis non foret, si jurisdictio ab alieno Judice in invitos exerceri posset. Igitur quæstio duntaxat est, sufficiatne consensus tacitus, an requiratur expressus. Sufficere tacitum in prorogatione de persona in personam, & de causa ad causam, statuendum est ex *L. 2. prin. & §. Convenire 1. ff. de Judic. junct. L. cum quid supra ff. si certum petat. ac C. Cum olim 32. de Offic. & potest. Judic. Deleg. Panorm. ibid. n. 7. ac in C. P. & G. de Foro comp. n. 20. Imola ibid. n. 56. Marian. Socin. in C. significasti n. 37. Felin. ibid. n. 5. Bartol. in *L. 1. ff. de Judic. in fin. Parisius L. 4. consil. 15. n. 4. Petr. Barbosa in cit. L. 1. art. 2. n. 7. & art. 3. n. 4.* cum communi aliorum. Idemque tenendum est de prorogatione à tempore ad tempus. *cit. L. 2. §. 2. ff. de Judic. C. de causis. 4. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* ac *cit. DD. Quoties enim Lex requirit consensum, æquè de tacito ac expresso intelligenda est. cit. L. cum quid ff. si certum pet. & ibi DD. Bartol. in L. fin. §. Necessitate C. de bonis, quæ liber. n. 20. Barbosa cit. art. 2. n. 8. & in L. 2. §. fin. ff. Solut. matrim. n. 17.**

419. Inducitur autem tacitus ad prorogationem jurisdictionis consensus per hoc, quòd Reus conventus ante litis contestationem non opponit Declinatoriam Fori, sed Dilatoriam vel Peremptoriam. *L. sed & si suscepit prin. ff. de Judic. C. inter Monasterium 20. de Sent. & re judic. & ibi Felin. n. 4. Panorm. in C. P. & G. de Foro comp. n. 20. Bartol. & Dec. in L. si convenerit ff. de Jurisdic. Bart. in L. quidam consulebat ff. de Re Judic. Marant. de Ord. Judic. p. 6. tit. de Exception. n. 1. & 4.* Idemque est, si aliquem actum fecit in judicio etiam ante litis contestationem, quo in Judicem consentire visus sit, velut si satisdet de judicio sisti, aut iudicato solvendo: aut si coram Judice incompetente actorem reconveniat. *cit. DD. & Bald. in Auth. Et consequenter C. de Sentent.*



Et interlocut. Maranta. l. c. p. 4. distinct. 12. n. 17. Vant. de Nullitat. tit. quib. modis sent. null. n. 80. aut Reus dicat, non esse procedendum absque libello, Actor verò contendat, libello opus non esse. Imola in L. quidam consulebat ff. de Judic. n. 40. ubi ait, hoc esse etiam ex mente Bartoli, atque ita intelligendum esse textum L. non videtur ff. eod. Menoch. L. 2. præsumpt. 19. per tot. Dixi: etiam ante litis contestationem. Nam per litis contestationem indubitanter prorogatio jurisdictionis tacite inducitur, omnique exceptioni declinatoriæ fori aditus præcluditur, juxta dicta n. 77. Et seqq.

420. Quod modò dixi, consensum litigantium ad prorogationem esse necessarium, non ita accipiendum est, quasi per eum illa immediatè & formaliter fiat. Constat enim, adeundum Judicem, cui prorogare jurisdictionem volunt, & ejus cognitioni ac decisioni controversiam esse subjiciendam: nam prorogatio est subjectio, quia Judici non suo se judicandos subjiciunt, ut patet ex L. 1. ff. de Judic. Hæc autem non fit, antequam ille adeatur, & causa decidenda offeratur, ac ille vel consentiat, vel saltem non contradicat, & partes reiiciat, juxta ea, quæ infrà dicuntur n. 434. Igitur ille partium consensus, antequam Judicem adeant & se judicandas offerant, id solùm operatur, ut neutra illarum sine alterius consensu resilire possit, sed teneatur illum adire, & Jurisdictionem prorogare. An hanc obligationem producat solum pactum nudum de adeundo alieno Judice, ita ut post illud neutri litigantium licitum sit poenitere, & invito altero resilire, dictum est suprà n. 81.

421. Illud verò, quod modò dicebam n. 418. prorogationem & subjectionem fieri etiam per quosdam actus antelitis contestationem coram Judice incompetente à litigantibus exercitos, non extra omnem controversiam est. Nam sola litis contestatione prorogationem induci asserunt Glossa 1. in L. 1. ff. de Judic. prim. & ibid. Albert. n. 2. Bald. lectur. 2. n. 4. item Gloss. 2. in L. si convenerit. ff. de Juris dict. Gloss. fin. in L. si per errorem. ff. eod. et seq.



que receptam opinionem asserit Fulgos. in *L. 1. C. de Jurisdic. n. 2.* & in *L. sed etsi suscepit ff. de Judic. n. 1.* Idemque tenet Marian. Socin. in *C. significasti 18. de Foro Compet. n. 47.* ac late confirmat Corneus *L. 2. consil. 209. n. 2.* Verum non est recedendum à doctrina, quam tenui *cit. n. 418.* ac receptam esse affirmat Felin. in *C. 1. de Judic. n. 6.* & *ibid. Ripa n. 52.* Ratio est: quia *cit. L. 1. § L. 2. ff. de Judic.* ac *L. si convenerit 18. ff. de Jurisdic.* ad prorogationem & subjectionem aliud non requiritur, quàm ut partes in alienum Judicem consentiant coram ipso. Et *L. sed § si suscepit 52. ff. de Judic.* ad renuntiandum fori exceptioni, & consequenter ad prorogandam jurisdictionem, plus non requiritur, quàm ut Reus coram Judice alieno utatur aliqua defensione. Hæc autem fieri possunt etiam ante litem contestatam.

422. Alia insuper controversia agitur inter DD. circa prorogationem à loco ad locum: utrum videlicet ad hanc requiratur consensus partium expressus, an verò sufficiat tacitus. Ut Judici delegato prorogetur jurisdictione extra Dioecesim aliam ac diversam ab ea, in qua jurisdictionem concessit delegans, requiri expressum constat ex *C. statutum 11. §. in nullo 3. de Rescript. in 6.* Requiritur pariter expressum quoad Ordinarium Judicem, ad hoc videlicet, ut extra suum territorium jus dicat patribus, tenent Angelus in *L. Quero ff. de Solution. Paul. Castr. in L. fin. ff. de Jurisdic. n. 8.* Francus in *cit. §. in nullo,* ac alii. Sufficere Ordinario consensum litigantium tacitum, affirmant Alexand. in *cit. L. fin. ff. de Jurisdic.* Imola in *cit. L. quero.* Archidiacon. & Joan. Andr. in *C. ut litigantes de Offic. Ordin.* Hæc opinio mihi videtur probabilior. Nam ex una parte jurisdictione Delegata est odiosa. *C. 1. de Offic. § potest. Judic. Delegati,* ac idcirco, quæ circa eam statuta sunt, restringi debent; ex altera verò ad prorogationem per se sufficit consensus partium tacitus, nec quoad Judicem Ordinarium, etiamsi agatur de prorogatione à loco ad locum, ullibi requiritur expressus. Neque obstat, quem primæ opinionis Auctores



ctores producant, textus *L. fin. C. si à non compet. Judic.* Quia ibi non agitur de prorogatione, sed tantum dicitur, sententiam Judicis non competentis esse nullam, si videlicet lata est contra eum, qui jurisdictionem ipsi non prorogavit, aut prorogare non potuit. Illud verum est, non posse Judici etiam Ordinario ultra ipsius territorium prorogari Jurisdictionem absque consensu Judicis illius alieni, in cujus territorio Jurisdictio prorogata exercenda foret: quia sic violaretur ejus territorium; ejusque juri pra-judicare per suam prorogationem partes nequeunt: si quidem agamus de Jurisdictione contentiosa, aut etiam de voluntaria, cujus exercitium cognitionem judicalem requireret. Videantur ea, quæ dixi *n. 59. & seqq.*

423. Aliud discrimen inter Delegatum & Ordinarium Judicem quoad prorogationem Jurisdictionis afferunt Panor. *in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 14.* Paul. Castr. *L. 1. consil. 203. n. 3.* Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 2. n. 11.* ac alij. Judex, inquit, Ordinarius non potest in alieno territorio exercere Jurisdictionem, etiam ex consensu partium, sine consensu Judicis alieni illius territorij: potest verò absque hoc consensu Judex Delegatus. Verum non apparet, quo Jure vel ratione hoc discrimen nitatur. Vel enim Judex est delegatus à SS. Pontifice, & extra Dioecesin, in qua sunt litigantes, quibus jussus est jus dicere, hoc dicere iisdem vult in aliena Dioecesi? Et tunc fatendum est, quòd in aliena Dioecesi dicere illud possit consentientibus partibus: quia hac ratione non usurpat Jurisdictionem extra territorium delegantis, cum hic in omnibus Dioecesibus Jurisdictionem habeat. Idem est dicendum de alterius summi Principis Delegato: poterit enim iste in toto Regno eam ex consensu partium exercere. Idem de Delegato alterius Principis non supremi, diversa in suo territorio dicasteria & tribunalia habentis. Quia dummodo in hujusmodi delegantium territorio Jurisdictionem exercent delegatus, eam jam non exercet extra limites Jurisdictionis, quam habet delegans. Vel loquimur de Delegato v. g. Episcopi



scopi, aut Regis, alteriusve Principis, extra cujus Dioecesis, Regnum, aut Principatum ille vult exercere jurisdictionem? Et dicendum est, eam æquè parùm, ac ab Ordinario, exerceri absque consensu Judicis alieni illius territorij posse. Cùm enim Delegatus repræsentet personam delegantis *C. sanè de Offic. & potest. Judic. Deleg.* idcirco non potest absque dicto Judicis alieni consensu eam exercere, quia nec ipse delegans id potest, ut constat ex dictis *n. 30. & seqq.* Nullum itaque discrimen hîc constituendum est inter Judicem Ordinarium & Delegatum: sicut enim ille extra suum territorium jurisdictionem exercere non potest, ita nec iste extra territorium delegantis.

424. Ex dictis infertur I. quòd prorogatio locum non habeat, si pars vel utraque vel alterutra erret, litem contestans coram Judice alieno, quem putat esse suum. Unde in tali casu acta & processus erunt invalida. *L. si per errorem 15. ff. de Jurisdic. L. 2. ff. de Judic.* Consensus enim in errante non datur, & non videtur, qui errant, consentire. *L. Nihil consensui 116. ff. de R. J. cit. L. 15. & 2. L. 57. de Obligat. L. 9. C. de Jur. & facti ignor.* Idque, si loquamur de errore facti, constat inter omnes DD. & de hoc saltem errore prædicta Jura procedunt. Errorem verò Juris, v.g. si Religiosus exemptus existimet, se coram Episcopo conveniri posse, non obesse prorogationi, tradunt Andr. de Ifernìa *L. 1. Constitut. Regni tit. 38. §. 1.* & Matth. de Afflict. *L. 1. Constit. rubr. 36. ad fin.* Verùm contrarium tenent reliqui DD. ferè omnes cum Bart. in cit. *L. si per errorem n. 2. & 3.* & Paul. Castrenf. *n. 2. Jason. n. 3. Innocent. ad C. ad petitionem de Accusat. Felin. ibid. col. 6. n. 6. Panorm. in C. P. & G. de Offic. & potest. Juàic. Deleg.* Neque obstat textus *L. Non fatetur. ff. de Confess.* ubi dicitur, quòd, qui errat in Jure, videtur confiteri, & sic consentire. Nam respondetur, ibi agi de consensu interpretativo: quoad consensum autem locum non habet interpretatio & fictio, quando verus consensus requiritur, uti hîc requiritur; neque enim, quòd consensus fingitur adesse, is propterea verè adest. Quin etiam dubio exclu-



di prorogationem, si quis videlicet dubitet, num hic sit Judex competens, coram quo convenitur, tradunt Bartol. in L. 2. ff. *si quis in jus vocat. non jer. n. 7.* Bald. L. 4. *consil. 475.* Jason l. c. n. 39. Decian. L. 4. *Tract. Crimin. c. 23. n. 13.* Barbof. l. c. art. 3. n. 23. ac alij, arg. L. fin. C. de *Condict. indeb.* Verum de hac doctrina merito quis dubitet. Nam solus error prædictis Juribus excluditur: dubium autem non est error; neque enim si dubito, an hic Judex sit competens, judico esse competentem. Dumque non obstante dubio coram ipso litigo, re ipsa dico, *sive sit competens meus Judex sive non, coram ipso contendere judicio volo.* Sic autem non minus in ipsum consentio, quam si dicam: *Tametsi non sit respectu mei competens, nihilominus ei me judicandum sub-jiciam.*

425. An verò error Juris hic præsumendus sit, dubium est. Affirmant post Speculatorem, Jason. Socin. ac alios Beroius L. 3. *consil. 6. à n. 29.* Natta L. 1. *consil. 82. in fin.* Schraderus p. 10. de *Feud. sect. 1. n. 141.* & Vult. in L. 1. C. de *Jurisdic. omn. Judic. n. 176.* ac communem hanc esse sententiam asserit Barbofa cit. art. 3. n. 28. Negant Zafius in cit. L. *si per errorem n. 10. & 11.* Donell. L. 17. c. 10. Ummius *disp. 4. ad Process. judic. thesi 18. n. 99.* Tenenda est prior opinio, cum distinctione tamen, quam plerique faciunt, qui illam sequuntur, videlicet errorem Juris hic præsumi in imperitis & indoctis; non item in peritis & literatis. Displicet hæc distinctio Petro Barbofa l. c. n. 32. dicenti, etiam in peritis errorem Juris hic præsumi; nisi, ut postea limitat, verè vel præsumptivè constiterit, prorogantem habuisse perfectam notitiam jurisdictionis Judicis prorogati. Verum hac ratione non recedit à communi opinione, quam rejicit: nam de doctis & literatis constat præsumptivè, quòd notitiam habeant, quis sit ipsorum Judex competens, qui non.

426. Quemadmodum verò doctis & peritis alienum Judicem adeuntibus non prodest error Juris; ita pariter juxta Paul. Castr. Jason. Alexandr. Dec. Panorm. Felin. ac alios, quos allegant



gant Barbosa *l. c. n. 39.* & Oliva *p. 3. Fori Eccles. q. 14. n. 24.* non prodest etiam imperitis, si adeunt Judicem, qui Jure communi ipsorum esset Ordinarius, nisi peculiari privilegio ab ejus jurisdictione essent exempti. Valebit enim processus, si non opposito privilegio coram ipso litigent. Quod tamen cum Barbosa *l. c. n. 35.* solum de errore Juris, & non de errore facti, admittendum censeo. Deinde noto, id tantum procedere de ijs, qui possunt uti privilegio sui fori vel non, uti sunt v. g. Pupilli, Viduæ, aut Scholares: non item de ijs, qui omnino exempti sunt, uti sunt Clerici à foro seculari, Regulares SS. Pontifici immediate subiecti à foro Ordinarij. Hi enim suo privilegio pro arbitrio contravenire, & renuntiare nequeunt, ac idcirco Judici non suo non prorogant jurisdictionem ejus judicium subeundo.

427. Infertur II. Cùm liber consensus ad prorogationem requiratur, ipsam esse invalidam & nullam, si extorta fuit metu cadente in virum constantem, v. g. si vel ipse Judex partem cogat ad litigandum coram ipso, vel pars, vel etiam tertius. Tradit cum Bart. Paul. Castr. & Jason. communis & recepta DD. apud Sanchez *L. 3. de Matrim. c. 39. n. 13.* & Barbosa *cit. art. 3. n. 43.* præeunte Ulpiano *L. 2. prin. ff. de Judic. si cùm restitisset qui vis ex litigatoribus, viribus Præturæ compulsus est, nulla jurisdictio est,* ipso jure, ut addit Glossa. Cur autem prorogatio gravi metu extorta ipso jure nulla sit, cùm tamen gesta per metum Judicis jurisdictionem habentis mero jure valeant, & tantum veniant rescindenda, ut habetur *L. 3. §. fin. ff. quod metus caus.* multis disquirunt DD. Videri potest Barbosa *cit. artic. 3. à n. 46.*

428. Infertur III. Quòd si quis litigantium protestatus fuerit, se non consentire in hunc Judicem, non censenda sit facta esse prorogatio; licet ponat aliquem actum, quo illa tacite inducetur. Quia prorogatio requirit consensus liberum, quem ex protestatione constat non adesse. Neque eà positâ actus ille, quo aliàs prorogatur jurisdictio, potest esse indicium prorogationis, sed censetur esse vel extortus, vel alio quàm prorogandæ jurisdi-



etionis fine esse factus. Ita Paul. Castrenf. in *L. criminali C. de Jurisdic. omn. Judic. n. 7.* Angel. in *L. sed etsi susceperit prin. ff. de Judic.* Felin. in *C. cum M. de Constitut. n. 69.* Quòd si Judex nihilominus eum velit compellere ad respondendum, licitè appellabit: quia coactio ad respondendum coram Judice incompetente tractum successivum habet, ac idcirco quocunque tempore licita ab illa est appellatio. *C. Ex parte tua. & ibi Panormit. ac Decius de Appellat.* Pariter, si Judex incompetens se competentem pronuntiaverit, licita erit appellatio. Eà verò omisâ sententia faciet jus inter partes, & perinde reputabitur, ac si à competente Judice lata fuisset. Videantur dicta suprâ *n. 23. & seqq.*

429. Infertur IV. Quòd prorogatio tacita non habeat locum in absente & contumace, qui nec per se nec per procuratorem comparet in judicio. Nam licet contumax interpretativè habeatur contumax in sui præjudicium *L. de atate §. qui tacuit ff. de Interrogat. in Jure faciend.* hîc tamen fictus consensus non sufficit ad inducendam prorogationem. *L. qui ex consensu C. de Episcop. audient. & ibi Bald. n. 7. Bart. in L. 1. ff. si quis in jus vocat. nonjer. & ibid. Alexand. colum. 6. n. 6. Paul. Castr. n. 2. Panorm. in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 21. Marian. Socin. in C. significasti de Foro comp. n. 37. Jason in L. 2. ff. de Jurisdic. n. 37. aliique.* Ubi tamen pariter locum habet limitatio, quam modò posui *num. preced. in fine.* Similiter si Judex procedat per viam Inquisitionis, nunquam inducitur prorogatio: quia eo casu deest consensus partium, aut si quis adest, est is solùm interpretativus, qui non sufficit, ut modò dictum est. Et ita Bald. in *L. 1. C. Ubi de crimin. agi oport. in fine & in L. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar. n. 2. Socin. L. 4. consil. 108. in fin. Alex. L. 6. consil. 216. num. fin. Curt. Jun. ad L. 1. ff. de Judic. n. 89.*

430. Infertur V. Ad prorogandam consensu etiam solùm tacito jurisdictionem semper esse necessarium aliquem actum positivum, ex quo consensus concludatur: cùm hîc non sufficiat sola taciturnitas & patientia. Ita cum Aretin. ac Anton. de Burzio Felin.



Felin. in C. Caterum de Judic. n. 5. Panorm. in C. ad petitionem de Accusat. n. 7. Bald. in L. si qui ex consensu C. de Episcop. Audient. n. 7. Paul. Castr. in L. 1. ff. de Judic. n. 6. Bartol. Dec. ac alij in L. si convenerit 18. ff. de Jurisdic. Maranta in Praxi judic. p. 4. dist. 12. n. 11. Menoch. L. 2. præsump. 19. per tot. Qui, aliique omnes, semper requirunt ad prorogandam jurisdictionem, vel litis contestationem, vel oppositionem exceptionis dilatoriae, similémve æquivalentem actum. Dissentit Petr. Barbosa in L. 1. ff. de Judic. art. 3. n. 8. censens, consensum sufficienter colligi per patientiam; si quis videlicet Judicem patiatur aliquid decernere contra ipsum, & non contradicat. Sed nec rationem vel jus aliquod pro sua opinione reliquis ferè omnibus DD. contrariâ adducit, maléque allegat Menochium cit. præsump. 19. hic enim actum aliquem positivum requirit. Vera tamen est ejus opinio in casu, quem paulò antè attuli n. 422.

## §. V.

*An ad prorogandam Judici alieno jurisdictionem  
requiratur consensus Judicis proprii ac  
alieni.*

## SUMMARIUM.

431. Ad prorogandam Judici alieno jurisdictionem non requiritur consensus proprii.
432. Nisi privilegium Fori integro alicui Ordini vel Statui hominum concessum sit. Aut proprius Judex privilegium habeat, ut sui subditi coram alio Magistratu conveniri nequeant.
433. Prorogandi jus hodie multum restrictum est.
434. Prorogari jurisdictio non potest, nisi Judici ejusdem Imperij aut Regni.
435. Ad prorogationem à tempore ad tempus opus est consensu Judicis, cui prorogatur jurisdictio.
436. Sufficit tamen tacitus.